**FRANCISCUS EPISCOPUS**
**SERVUS SERVORUM DEI**
**AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

CONSTITUTIO APOSTOLICA

# *IN MAGNA BRITANNIA NOVA CONDITUR EPARCHIA MAGNAE BRITANNIAE SYRO-MALABARENSIUM**

In Apostolorum Principis Cathedra constituti, solliciti quoque de spirituali salute atque regimine Christifidelium Syro-Malabarensium in Anglia, Cambria et Scotia commorantium, visum est pro iisdem Eparchiam novam condere. Nos igitur hoc ipso die audito consilio Venerabilis Fratris Nostri S.R.E. Cardinalis Praefecti Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, re mature perpensa, summa Apostolica auctoritate condimus Eparchiam Magnae Britanniae Syro-Malabarensium cunctis cum iuribus et obligationibus talium Ecclesiarum propriis; cuius Sedem eparchialem ponimus in urbe Prestonensi, dum eiusdem constitutio et administratio ad normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium fient. Quae vero iussimus ad effectum rite adducantur, deque absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad memoratam Congregationem mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis rebus nihil obstantibus.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo sexto mensis Iulii, anno Domini bis millesimo decimo sexto, Iubilaeo Misericordiae, Pontificatus Nostri quarto.*

*De mandato Summi Pontificis*
Petrus card. Parolin
*Secretarius Status*

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Francus Piva, *Proton. Apost.*

**AAS*, vol. CVIII (2016), n. 5, p. 524.

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana